

dum esse, *Atilio*, Braduae. Fuit enim tunc temporis M. Atilius Bradua, qui sub Traiano Imperatore Consul fuit, simul cum Trebonio Gallo Anno V. C. DCCCLX.

## VI.

*Pannicularia causa, quemadmodum intelligi debeat, ex ipso nomine apparet.*

Vox Pannicularia extra hunc locum neque in legibus, neque apud Auctores vllibi occurrit, in nostro vero textu aliquoties legitur modo substantiue, modo adiectiue. Cum igitur, vt monet Imperator, ex ipso nomine appareat, quid per pannicularia intelligi debeat, non abs re fore arbitramur ipsam vocis etymologiam et originem paucis exponere. Pannicularia igitur deriuantur a Panniculus, hoc vero a panno, quod vestem laneam denotat, in specie pannus accipitur pro viliori laneae textura, veste squalida, lacera et tenui, ita CYRILLO in *Glossario* pannus dicitur *ῥάκος* seu lacera vestis ein *Lumpen*. SVETONIVS in *Calig. Cap. 35. §. 5.* pannis obsitum dicit: qui veste ex Centonibus Confuta tectus est et derisui ac ludibrio aliorum hominum exponitur; et SENECA *Epist. 20.* ait: *alioquin leue argumentum est bonae voluntatis grabatus et pannus nisi appareat aliquem illa non necessitate pati, sed malle.* Similiter Rex apud VALER. MAXIM. *L. VII. cap. 2.* regium diadema nobilem magis, quam felicem pannum per contemptum nominat, et regias vires panni appellatione exprobrat, sicut, Stobaeo teste, Antigonus Rex Maiestatem diadematis extenuans *ῥάκος* illud dixit, constat enim diadema Regium insigne fasciam candidam fuisse, qua frontem obligarent. Conf. LIPS. in *Taciti Lib. VI.* Hinc mendicis et egenis pannus tribuitur. PLAVTVS in *Asinaria Act. I. Scen. II. vers. 16.*

*Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia.*

Conf. GRONOV. ad hunc locum et LIPS. *Ant. Lect. L. V. c. 13.* PETRONIVS. *C. XLIII.*

*Sola pruinosis horret facundia pannis.*

LACTANTIUS *Carminum de Phoenice v. 19.*

*Luclus acerbus adest et egestas obsita pannis  
Et curae insomnes et violenta fames.*